



S. Damiani. et omni sanctorum. quorum sollem-
nitas hodie in conspectu tue maiestatis. ce-
lebratur. dñe deus noster toto in dabe terrarum
omni sanctorum tuorum quorum meritis precibus
intercedas. ut in omnibus protectionibus tuis num-
quam auxilio **I**n eundem xpm dñm nr̄m.
Ant igitur oblationem seruitutis nostre
sancte familie tue. **Q**uesumus dñe. ut pla-
cis accipias. dies q̄ nostrum in tua pace di-
cas. atq̄ ab eterna damnatione nos wipe-
lectorum tuorum iubeas grege numerari p̄
dñm nr̄m **Q**uā oblationē tu deus t̄
omnibus q̄s. benedictā **X** asscriptā **X**
rationabile. acceptabile q̄ face-
ris. ut nobis. corpus **X** et sanguis **X**
delectissimū filij tui dñi nostri ihu xp̄isti


MS 612

Sammelbd

Augen. 1. Bd.









Ms 612



APOSTROPHÆ TRES:

AD STUDI-
OSAM: NOBILEM
HONESTAM; PIAM; IUVEN-
TUTEM: QUAE IN INCLYTA AD
SALAM Tyrigetarum Academia, linguas & artes
Ecclesiæ Christi, & communi vitæ necessarias, sin-
ceramq; religionem & pietatem, discit
& colit:

Quibus accesserunt,

*Panacea Eulogium, & Epigramma ευχαριστικόν
ad Christum,*

Scriptæ & editæ

A. M. LAURENT. RHODO-
mano; Græca & latina lingua apud Ienenses
professore P.



Ienæ Typis Tobiaë Steinmanni.



ORNATISS. VIRIS, ERV-
DITONE ET VIRTUTE PRAESTANT.
DN. IACOBO & DN. MICHAELI VVURSTSMIDIIS,
D. CHRISTOPHORI VVURSTSMIDII. COS. LANGO-
SALTZ. Sapientis. F. F. D. D. & amicis antiquis &
colendis. S. P. D. L. RHODOMAN.

WVURSTSMIDII saluete, boni patris optima proles:
Tu MICHAEL praestans, tuq, IACOBE, fide.
Quos mihi, ceu fratres iunxit Schola docta NEANDRI:
Dum studij vobis dux studiosus eram.
Quis rerum vobis status est? qua cura sodalis?
Num vetus in fida mente residit amor?
Non dubito, tanti memores quin sitis amici:
Qui vobis tanto pignore vincetus erat.
Ad puros etenim fontes virtutis & artis
Ducere, praclari nonne laboris opus?
Ast ego non possum vestri immemor esse: nec unquam
Esse volo: retro dum SALA vertat aquas.
Qui per Saxonicas comas est mihi candidus oras,
Tyrigetum terris durat & adstat, amor.
O quoties vivas audire & reddere voces
Optavi, & fidas iungere posse manus!
Nunc, cum longa mora est: quia non mihi suppetit amplum:
Pauperis hoc vobis offero munus agri.
Quicquid id est, certum nostri sit pignus amoris:
Et gratum vobis: admoneatq, mei.

Ἰ. ἸΩΑΝΝ. ΤΙΜΑΤΙΟΥ

Quæ est Narratio de linguis : & invitatio ad auspiciis
prælectionum.

STVDIOSIS LINGVARVM

Artium, nec non pietatis, in inclyta IENAE Academia
S. P. D.

M. LAVRENT. RHODOMAN.

Græca & Latina lingua, iuvenes honestiss. οὐ χθὲρ καὶ παλαιῶν; (non nuper & postrema mundi ætate) exortæ sunt: ut multæ, quæ hodiè sunt in usu, aliquot à Christo nato seculis, ex collisione diversarum gentium, sunt conflatae, quæ licet antiquæ & puræ linguæ originem sapiant: alienis tamen vocibus & phrasibus sunt permixtæ, ideoque degeneres & corruptæ: Tales sunt Italica: Gallica & Hispanica: quæ irruptione Gothica, Vandalica, Longobardica, & Francica ex latina ita in Germanicam degenerarunt, ut vix quantum lacunæ pars latinæ vetustæ adhuc restet: Talis est hodiè Barbarogræca: quæ etiamsi literas, sonum, dictiones priscae linguæ retineat: confusa tamen est cum sermone Saracenorum Hænetorumque & aliorum barbarorum, qui in septimo post primum Christi adventum seculo, Græciam vastare ceperunt. Nova igitur est & corrupta. His annumeranda venit Anglica, quæ cum olim Teuto-

A 2 nica

nica fuerit: crebris tamen Gallorum & Hispano-
rum commerciis factum est, ut in hanc novam &
peculiarem viciatamque transferit. Verum in du-
as illas quas dixi linguas hæc novitatis, ratio non
cadit. Natæ enim sunt illo tempore, quo ex lingua
Hebræa, tanquam ex matre, universæ per totum
postea orbem dispersæ, nascebantur: Deo genus hu-
manum, unius labii seu, loquelæ, in tot genera distra-
ctione, propter impietatem & arrogantiam puni-
ente, & unam gentem in tot nationes disgregante,
quot linguæ erant. Cum autem quæque gens novas
sibi sedes quæret: linguam etiam suam illuc se-
cum transtulit & propagavit. Sic evenit, ut Græcus
& latinus sermo cum Iaphet (seu Iapeti) filio Iava-
no (quem Latini Ianum, Græci Iaona & Ionem
vocant) in Asiæ minoris & Europæ terris longè
lateque sit disseminatus.

Nam Græca lingua initio quidem minorem
Asiam & Græciam, adeoque vicinas regiones & Ins-
ulas sibi vendicavit: sed pededentim proserpens,
bonam Europæ & Asiæ & Africæ partem occu-
pavit. Latina autem lingua initio angustioribus
se finibus inclusam continuit. Sed tamen & ipsa,
amplificata vrbis Romanæ potentia, cum impe-
rio per Italiam, Galliam, Hispaniamque in Africam
usque, ductis ex Italia Romanorum coloniis, adeo
se extendit: ut, oblitteratis illarum gentium lin-
guis, sui usum introduxerit & confirmarit. Atqui
peculiaris

peculiari has duas linguas (sicut & Hebræam) beneficio Deus affecit & exornavit. Nam cum aliæ omnes nulli certæ methodo astringi se patiantur, ideoq; nominentur Barbaræ; hæ certis Grammaticæ regulis sunt comprehensæ: quò facilius doceri & disci, & eruditius elegantiusq; scribi & enunciari possint. Quo circa etiam eruditæ & regulate appellantur. Hoc ipsarum (ut ita loquar) privilegium in causa est, ut quicquid uspiam est sapientiæ tum divinæ tum humanæ, harum ope in literas sit relatum, & posterorum memoriæ commendatum. Sacræ etenim linguæ scriptura doctrinam de se & cultu sui, nostraq; æterna salute Deus nobiscum communicavit; & res gestas à prima, & ultima orbis memoria, in genere humano, maximè autem populo suo, tradidit. Beneficio igitur huius linguæ debemus, quod mundi primordia: quod generis humani profeminationem: quod divinas in veteri testamento patefactiones: quod rectè cognoscendi & colendi Deum: & vitam æternam consequendi modum: quod rectè & piè vivendi rationem & normam: quod gratiæ & iræ divinæ exempla, aliq; multa, quæ Deus nos scire voluit, cognita tenemus.

Græca hinc lingua omnis artis & sapientiæ magistra est & propagatrix. Circumspice omnes artes & doctrinas: Theologicas, Philosophicas: quæ

quæ nam à Græcis non est exculta? & in scriptis illorum per manus tradita? Testabuntur Theologi: non negabunt Iurisconsulti: ultrò fatebuntur Medici: & facile concedent Philosophi, omnium artium & facultatum (quas vocant) bonam partem, si non totum, se Græcæ linguæ acceptam referre. Ideo Deus maturè, quatuor seculis, plus minus, ante mediam ætatem mundi: cum Cadmus literas & doctrinas ex Palæstina in Græciam secum attulisset: excitare cœpit, omnis sapientiæ, legum, artium, & disciplinarum magistros & Professores: Minoem, Perseum, Linum, Orpheum, Palamedem, & tandem Homerum, & Hesiodum: quibus deinceps succedunt sapientes Græcorum, Philosophi, Poetæ, Historici, & longus ille scriptorum doctorumq; ordo, ad hunc usq; diem.

Hac enim lingua descriptæ sunt leges à Solone: quæ postea Romam translatae, duodecim tabularum nomine, ius civile Romanum, quod hodieq; apud nos in usu est, peperere. Hac lingua inventæ & in certum ordinem redactæ sunt omnes eruditæ artes, antea vel prorsus ignotæ, vel confusæ, aut etiam huc illuc dispersæ. Hac lingua quatuor monarchiarum & plerorumq; regnorum imò totius orbis historiæ, ab extrema indè memoria, ad hanc ferè ætatem, sunt consignatæ. Et quod longè maius, hæc lingua scripturæ Sanctæ dimisidium

diuni (ut ita loquar) ab ipso Spiritu Sancto per
Evangelistas & Apostolos expositum est, Quid ad
honorem & commendationem eius dici potest
amplius & augustius? Cœterum latina lingua eru-
ditum sui usum proferre cœpit longè serius quam
Græca, (nam Hebræa ab exordio mundi fuit) in
tertia videlicet monarchia, septimo, à media æta-
te mundi seculo: quo tempore Romani iam ad
Monarchiam suam aspirabant. Tunc enim Næ-
vius, Plautus, Ennius, Terentius & alii, occasione
& materia à Græcis sumpta, fabulas, & res alias car-
mine dignas, panxerunt. Quos subsequuti sunt Ora-
tores, Historici, Philosophi, & in omni artium &
doctrinarum genere, adeoq; in tota Encyclopedia,
artifices: serie ad nostram usq; ætatem continente:
quorum studio accuratum est & effectum, ut nihil
ferè sit in ulla disciplina, quod huius linguæ stylo
non sit versatum & excultum. Est itaq; Latina
lingua Græcæ discipula & interpret: usumq; su-
um populis ad occidentem & septentriones tam
familiarem fecit, ut non solum in scholarum exer-
citationibus, & curiæ & Ecclesiæ negotiis, sed etia-
am in privata literatorum, & quorumcunq; erudi-
torū vita, dominetur: Ecclesiæ profectò in cremens-
tis, & veræ religionis instaurationi, & perpurgati-
oni doctrinæ cœlestis, plurimum, sub hanc mundi
vesper

veiperam, emolumenti dedit. Puritatem suam
(sed paulatim deficientem) retinuit ad quintum
usq; seculum à mortali Christi in terris ortu. Tunc
enim à barbarie Gottorum viciata, & deinceps à
Vandalis & Longobardis magis corrupta fuit,
vulgusq; interim Latinam linguam purè sonare
desiit: & erudita eius enunciatio ad scholas est re-
legata: ubi tamen magis magisq; depravata à sa-
cerdotibus luxuriosis, Monachis ignavis, & So-
phistis rixosis, superiori demum seculo, pristino,
hoc est, Ciceroniano & Virgiliano fitori est res-
tituta. Simile fatum Græca lingua quoq; experta
est. Etenim cum incorrupta mansisset (licet sub-
inde deflorescens, & ad interitum properans) ad
septimum usq; Christi seculum: & in Græcia: Ma-
cedonia: Thracia: Asia minore: Syria: Aegypto:
& nonnullo Italię tractu, principatum habuisset:
Saracenorum & Henetorum infusione sic afflictata
& contaminata est, ut præter scripturę caracte-
res (quos tamen ipsos barbaricis & monstrosis
ductuum Labyrinthis deformant) nihil proprii
& sinceri agnoscas. Reliquus autem lingue sinceris
oris usus, multum tamen à puritate & elegantia
pristina degenerans, Scholis, Ecclesiis, & Mona-
steriis adhæsit. Quod tamen totum, quicquid
est, armis Turcarum sævissimis, ante annos cen-
tum triginta octo, subiugata Græcia, & capta urbe
Impe-

Imperiali Constantinopoli, est oppressum & ex-
stinctum. Nisi quod profugi quidam Græci, viri
ingenio, doctrina, & virtute excellentes, in Ita-
liam, quasi scintillam deportarunt: quæ subito in-
dustria illorum excitata, clarissimum toto occi-
dente lumen extulit. Cum enim ultimum Græcos
fatum urgeret, Turcæ iam in ipsis Græciæ viscer-
ibus igni ferroque grassaretur: Musæ Græcæ ex an-
tiqua migrare patria coactæ, Italiam petunt: unde
à Gothorum usque vastatione, septingentos ferè
annos exsulaverant. Sed quò irent tutius, & com-
modius hospitium invenirent, Emmanuelem
Chrysoloram pro Musageta sibi adiungunt. Hic
Græcam linguam docere & provehere longius, in
præcipuis Italiæ urbibus, Venetiis, Florentiæ, Ro-
mæ & Ticini orditur. Sequuntur eum in hoc sta-
dio & studio Georgius Trapezuntius Cretensis:
Theodorus Gaza Thessalonicensis: Demetrius
Chalcocondyles Atticus: Iohannes Argyropy-
lus Byzantinus: Marcus Musurus Cretensis: Bes-
sario & Iohannes Lascars: quos honoris causa
tantum nomino: brevitatè verò studio, Eulogia,
quæ merentur, omitto. Horum ingeniis & studio
Græca lingua cum artibus suis in Italia revixit: &
tunc plurimum quoque vetusti splendoris ad sermo-
nem latinum, ceu postliminio, reversum est.

At enim vero Musæ Græcæ angustiis Italiæ se-
dibus

B

dibus

libus non contentæ, Alpes transvolant (ut Argyropylus ad Reuchlinum postea exclamat) & primum in Gallia, duce & magistro Typhernate, & post hunc Hieronymo Spartiata, linguam & sapientiam suam prolatant. Deindè etiam ad Germanos, & Hyperboreos ipsos, longè lateq; progrediuntur.

Nam à Spartiata Capnio, & Erasmus Roterodamus; à Capnione Melanchthon & Camerarius: ab his præceptores nostri, Neander, Crusius & alii, disciplinas Græcas acceperunt, & nobis porro, tanquam depositum preciosissimum, fideliter commendarunt, posteris bona fide reddendum.

Si igitur veræ & solidæ artis ac sapientiæ cultura vobis, studiosissimi iuvenes, cordi est: si in intima Philosophiæ penetralia ingredi, nec cortice tantum, sed etiam nucleo eius frui vultis: si Deo & hominibus probatos, vobisq; ipsis utiles, & iucundos, è studiis fructus colligere, & reportare cupitis: si deniq; gloriæ honestæ studetis & nominis immortalitatem appetitis: præter Latinæ & Hebræ linguæ, etiam Græcæ exercitatio tam commendata sit vobis, quam præcipuus studiorum vestrorum scopus atq; fructus esse debet. Accingamini quæso, humanissimi & optimæ spei iuvenes, operiq; gnaviter incumbite. Nec moveat quenquam, qui sapit, vulgi maleferiati exemplum: quod

quod vanam tantum eruditionis umbram, spreta
hac lingua, venatur: & nihil gratum habet, quam
quod externis sensibus voluptatem conciliat: &
oculos pascit: aures titillat: gulam demulcet: &
tactum suaviter afficit. unicuique potius in conspe-
ctu sit, quod de Tiresia, vate Homericō, in Tra-
goedia canitur.

ὄς ἔδουκείν ἀριστός, ἀλλ' εἶναι θέλει.

Non vult probus, sapiens, videri: at esse vult.

Hanc de linguis, & imprimis Græca, narra-
tiunculam, & admonitionem ad vos, ingeniosi iu-
venes, me, & officii mei ratio, & utilitatis ves-
træ respectus, publicis meis prælectionibus præ-
mittere adegit: ne & ego illotis (ut aiunt) pedibus
ad auspiciū illarum ingrederer: & ut vos de
origine, progressu, auctoribus seu Magistris, usu,
degeneratione, ruina, & reparatione linguarum
erudiremini. Quare vos æqui bonique hoc facie-
tis: & cum benevolentia præceptorem novum au-
diatis, quem laboriosæ huic, sed tamen honestæ,
liberali, suavissimæ, necessariæ, utilissimæque lin-
guarum docendarum provinciæ, singulari Deus
fato, per utrumque magistratum, politicum &
Scholasticum: nempe Illustriss. Saxonix Ducis,
Dn. FRIDERICVM VILHELMVM,
Sax. pro Electorem: & Dn. IOHANNEM
CASIMIRVM, Dominos nostros Clemen-

tifs. & sapientifs. Academiae Ienensis senatum, praefecit. Ad cuius voluntatem, Isocratis Epistolas, & Batrachomyomachiam Homeri, & Orationem aliquam Ciceronis explicare, & Logicarum huc artium praecipua applicare, ($\sigma\upsilon\nu\theta\epsilon\omega$) decrevi. Initium autem praelectionum fiet, Deo bene fortunante, cras hora prima. Cum orationis loco, (ut consuetum est) Carmen Graecolatium de Graecae linguae, praestantia & utilitate (ut quae hic defuerint, ibi expleantur) prius recitavero.

In Communitatis igitur Auditorio, ut frequentes, aequi & benevoli conveniatis, studiose peto & oro. Valete. A. D. CIJ. IJ. XCII. Febr. XXVII.



De:

Excusatio absentiae diuturnioris : & morbi
omnium monstruosissimi descriptio.

Salve Tyrigetum pubes studiosa (Getarum
Progenies, quis certa dedit prae nomina Tyras)
Cui pater omnipotens pregnantem condidit hortum,
Ad Sala spumantis aquas : ad eumque colendum
Numina, quae veteres Musas dixere Pelasgi,
Omnis doctrinae, colitur qua vita, magistras ;
Exciit, eximii votis compulsus amici,
IANI FRIDRICI: quo non praestantior heros,
Religione, fide, pietate, & fortibus actis,
Extitit, Ascanes ex quo Germanida duxit,
Nam ne iacturam faceret divina salutis
Concio, mille odijs, gladijs, summisque periculis
Obiecit caput; haud dubitans occumbere morti:
Quamvis fulmineis huic obvius iret in armis
Caesar, & Antistes Romae, Satanaque potestas,
Hic ergo primus Sacraria grata dicavit
Musis, ut salvi tibi religionis honores,
Et doctrinarum constans genus omne maneret,
Fertilibus Sala ripis, Gothicasque per oras.
Principium fecit genitor: sed pignora ceptum
Complerunt, postquam ter maximus ille recessit
Electus, reddens animam quam debuit astris.
Nunc bene perfectum similes virtute parentum
Conservant, vigili studio, & feliciter augent
Gymnasium, vera cum religione, nepotes.
Et faciunt, cunctis clarescat ut undique terris,
Discentum numero, solida & probitate docentum.
Famaque lata duces intidis circumvolat alis.

Propterea Gothicam cumulat sapientia gentem.
Vnde sed hac veniat tibi quæris epistola dextra
Ignota: quis sit transmissi carminis autor,
Si te forte latet, non commemorare gravabor.

Est locus Hercynia sub montibus, obvius austro,
Vnde Gothis iuncti quondam erupere Cherusci,
Ductore Harminio, quo non pugnacior alter,
Augusto dominante, fuit, nec clarior actis.
Et tumidum stravere Varum, cum flore Latina
Militia; Romæq; animos fregere potentis.
Hic me rectorem docilis pia numina pubis
Abdiderant, sacro in luco: linguasq; docere,
Artesq; ingenuas studio iussere fideli.
At aliter visum superis: me relinquere terras
Natales voluere, prius velut inclyta gentis
Saxonica claras doctum me munus ad urbes
Abripuit, nec non ipsas feliciter Aulas.
Namq; duces qui Tyrigetum pia sceptrâ gubernant,
Doctus & ad Salam qui Musica templa senatus,
Custodit, regit, & doctis sermonibus aures
Personat his, quos discendi trahit optimus ardor,
Officium adscivere meum: tibi cara inventus
Tradere, sub Graiis, mysteria, condita libris:
Ut possis veteres cognoscere Graia loquentes,
Et fontes ipsos contingere: cumq; vetustis
Sermones nullo conferre interprete, & inde
Optima quæq; tuos scite depromere ad usus.

Scire cupis remoram, iusto qua tempore adesse
Non sinit, atq; maligna meis adventibus obstat?
Quod cupis expediam: scribendi hac maxima causa est.
Instructus iam currus erat: congesta supellex
Speratum cupiebat iter: nec texere longas

In pa-

In patria indè moras, Solam te IENA petebam?
Ante oculos mihi IENA aderat, mentemq, trahebat.
Eccè sed è Stygijs mihi dira Megara barathris
Obiecit monstrum, quo non truculentius ullum
Tartara habere puto. Nil huc facit ille trilinguis
Cerberus aspectu, nil torva Chimera, nec ipsæ
Eumenides, quamvis toto nil tristius orco est;
Mille gerit capita; & totidem longo ordine pestes
Rictibus exspirat; morbi genus omne subharet.
Qualia Apostolici describit pagina vatis,
Hic ubi postremi prædicit tempora mundi.
Hoc furiale malum, sic instigante Megara,
Me subito aggreditur, sed apertis faucibus omnes
Intorquet pestes; rabidis me calcibus ima
Affligit terra, primog, in me evomit ignem:
Aetnaeus quantum crater non ipse remittat.
Hinc velut in flammis abeo: sed frigidus horror
Sternit iter, miseros quassans immaniter artus.
Rara quies: mors atra meos ante haret ocellos,
Scabros ostentans dentes, falcemq, tremendam.
O quam sæpè mihi fuit obsecrata, minari
Ne vellet, subitoq, malis imponere finem;
Non querula valuerè preces: mea belua rictus
Diducens alios, alia me peste fatigat.
Implet enim teneris mihi viscera clausa lapillis:
Queis ita discrucior totus, per mille dolores,
Ut nihil exsuperet, Sequitur tumor inde, nec absunt
Defectus somni, queruleq, insomnia noctis.
Nec satis hoc: mea pestis ineluctabile damnum
Importat tandem. Sævis nam calcibus artus
Protrivit totos, ut nulla hinc membra valerent.
Pes iacet, & frustra nervorum implorat amicum

Auxili-

Auxilium, manus officium negat utraq; nec iam
Tantillum valeo, muscas ut corpore pellam,
Litterulamve unam pennata cuspide signem.
Extincta stomachi vires potumq; cibumq;
Excludunt, ledit nimio quoq; pharmacon usu.
Non ego crediderim tantos subiisse dolores
Quos vates referunt: Ixiona: quem rota versat
Noctes atq; dies, furijs astantibus: ietus
Ingeminat tunc quaq; suos: stridentq; flagella.
Tantalon: in medijs dum pocula captat aquarum
Vorticibus, magnaq; cibos in copia edendi,
Et caute impendens capiti, iamiamq; minantem
Precipites casus, tremit, averfatur & horret.
Non ita discruciat Tityum rapida ales adunco
Obscaenum rostro: dum vellicat usq; renascens.
Assidue iecur: ob scelerata crimina vitæ.

Magna tamen bonitas Christi, quem Rector olympi
Humano misit generi Sotera benignum,
Auxilium tulit, & fessum, iamiamq; ruentem
Lethæas ad aquas, tandem relevavit, & ignes
Leniit. Exemit quod viscera cæca premebat
Vesica turgentis omnis, sevosq; tumores.
Cætera sed remanent, desiderioq; profundo,
Eiusdem expectant de miti pharmaca cælo.
Experior medicos: grata est industria, & artis
Officium; sed quid valeat medicina? quid omnis
Ars? quid amica fides? Paon nisi maximus ille
Aspiret vires medicis, Robuste lacertos
Quid iactas validos? quid fortia crura Gigantis?
Cur effers animos? & cur immania spiras?
Vnus namq; Dei nutus tibi cuncta resolvat.
Ergo animos moderare tuos: reverere Tonantem,

Qui

Qui premit absq; manu quem vult; absq; ignibus urit,
Et tamen à fessis, cum vult, sua tela retorquet,
Mirandis utrunq; modis; prænuncius illi,
Auxilij nullus vel perditionis habetur,
Qui tibi divini moderaminis indicet horam.
Hic quoq; me lecto clavis affixit acerbis,
Dum trinos Phœbi menses hæc verna peregit,
Iam peragens quartum. Quæris quo sine? nocendi
Non ego consilio fabricari hæc numina dicam.
Dixerit hoc aliquis veterum de gente Sophorum,
Aut trux Turca; Dei cui mens est nescia, Christus
Nec mediator adest? Sit sanè iratus Olympi
Præses, & incutiat pœnas, delicta coercens:
Attamen hoc scimus: pater est, pater usq; manebit,
Donec in unigenam nobis fiducia natum
Ponitur; ille nefas nostrum luit, ille piavit
Omne matum nobis, quod inherens noxa creavit.
Noxa, patris lapsum primi matrisq; secuta.
Ille patrem nobis fato placavit acerbo;
Ille satis legi fecit: cœlumq; redonat,
Christicolis, queis certa fides, spes firma salutis:
Si mihi IOVA pater (quisnam dubitavit?) habebit
Et patrios erga me animos. Cur cadere natum
Instituit genitor? Non ut sit tortor, & illum
Pessundet: potius stolidam resipiscere mentem
Contendit, turpesq; flagris expellere mores.
Sic pater hic summus dum pignora cara flagellat,
Irata sub fronte animos tegit usq; paternos,
Ad meliora trahens, per vim, per verbera: verba
Si nihil efficiunt. Sanat, cum verberat, auget,
Cum minuit, sternens (mirabile) tollit in altum:
Cum perdit, veram donat (modo crede) salutem:

C

Cum

ui



Cum premit ad stygios, regna ad caelestia vectas.
Huic ego me totum, sicut permitto, relinquo,
Si volet, efficiet, parvo, ut tibi, tempore, sanus,
O studiosa cohors, Graios recludere fontes
Cum fructu possim; Nec ego tibi, quanta facultas,
Usquam defuero: Seu publica cura docendi
Me vocet, aut alias operamq, fidemq, requiras,
Coniunctis una studijs intrabimus hortos
Musarum gravidos, Graias lustrabimus undas,
Vatibus usq, adeo claras: decerpere flores.
Nos iuuet antiquos: sapientia & inlyta virtus
E quibus, eterna vernantes laude, corollas
Texat, & imponat, vita communis ad usum.
Caribus ut Christi gratos spiremus odores;
Seu nos aula vocet, seu curia, sive scholarum
Dulce magisterium, seu quaevis functio vita.

Hec scribo absq, manu: lateat ne causa morarum,
Non mea culpa mora est, sed numinis alma voluntas.
Obsequium ergo Deo, veniam mihi detis ut, oro,
Atq, meis vestras precibus iungatis amici.
Accurrens, volitans, veniam, si motus in artus,
Et vigor accessit membris animoq, : Valet.

A. C. 1591. in Vere: ex coenobio Valcerod.

Narratio

Narratio de morbi initiis, progressu; &
decrementis.

ANnus iam exactus est integer, cum ab Illustris. Sax. Princi-
pibus D. FRIDERICO VVILHELHO, & D. IOANNE
CASIMIRO, D. D. nostris clementis. & ad munus docendi &
propagandi utramq; linguam, præcipuè verò Græcam, in Acade-
mia tenensî, vocatus, & liberali stipendio conductus sum. Ad
quod unanimis consensus, & solennis vocatio, sapientis. senatus
Academiæ Salanæ paulò post accessit. Fidem autem dederam,
me ad proximum tunc Pascha manus officio admoturum. Sed
res præter opinionem longè aliter cecidit. Vix enim ex aula do-
mum reversus eram: cum catharrus, quem Coryzam vocant, me
tam molestus invadit, ut vitam propè omnem acerbam fecerit:
dum sine fine & quiete fluxum omnium fœdis. ad sesquî mensem
usq; continuat.

Vix liberatus mihi videbar hoc malo: & iam incipio
me ad migrationem præparare: Quid fit? febrim mihi immittit
Deus, cui similem non fuisse unquam, propè iurare ausim.
Tam mirum & varium secum morborum agmen traxit: tam hor-
rendos post se affectus reliquit? Enimvero per XXIV. horas im-
manis horror, & ardor gravissimus, me vicissim, absq; intermis-
sione, quassabant & coquebant. Interquiescendi tamen dies (ut
in tertianis febribus solet) subindè dabatur. Iam in tertiam mea
pestis hebdomadem exierat: dum nihil eorum, quæ ad amolien-
dum conducere videntur, omitto: sed audi mirabilem rerum
conversionem; quam ego insigniter confirmare existimo, quod
à sapiente dictum est: Ludit in humanis divina potentia rebus, Et
certam præsens vix habet hora fidem. Circa æquinoctium erat
vernum, cum mea febris in colicam mutatur sævissimam: & colic-
ca statim in calculi dolores acerrimos & assiduos; quos ego cum
damnatorum in tartaro cruciatu comparare non dubito. Ibi de-
mum nulla quies: nulla in eodem loco permansio: nulla cibi &
potus appetitio: nulla salutis spes amplius: sed indefinens pervi-
gilia: *ἀρεσφία* subindè ingravescens: *ἀδυναμία* ferè extrema, & ut

paucis complectar omnia, ipsa mortis imago. O quoties in tormentis illis mihi mors invocata? non Aetnae moles, sed tota mundi machinia, incumbere mihi visa est. Ut vero ad febrim meam omnis vis medicamentorum emortua erat, ita hic omnem mihi efficaciam denegabant. Tametsi quatuor ordine medici operam navarent, inter quos non postremus Cl. D. NEANDER praceptor meus, quem honoris causa nomino. Sub Pascha demum manus Domini (ut Hebraica Scripturae phrasi utar) super me valide aggravatur: calculus meus in Paralyfin commutatur: quae me ita adfecit, ut vivum cadaver me esse dixisses: obstructis enim nervis manuum pedumque, usque adeo me profligavit, lectoq; adfixit, ut nec unus mihi digitus officium faceret: Quo tres aut quatuor me transferrent, ibi eram; Imò tanta mihi vis erat, ut nec in minimis levare aut adjuvare memet ipse possem. Augebat morbi iniquitatem perpetua ventris obstipatio. Ab initio enim, ad hunc propè diem, sedibus (ut vocant) emittis seu Pharmacopoeicis, usus sum. Hinc pestes illae viscerum: cibi potusque fastidium: & ἀπεψία seu cruditas ventriculi: ἀρεσφία & macies, cum defectu virium: cruciatus colici, seu torsiones intestinorum. Medici quidem multa tentare: sed omnia absque fructu, donec ad extremum ad balnearum frictionumque & unctionum opem se contulerunt: sed laterem laverunt. Ita igitur bonam veris partem, & aetatem totam, consumsi in tristissimo vitae statu: squalore, cruciatu, angustiis & lacrymis.

Accidit autem circa festum Michaelis, ubi ferè de mortalibus hisce mecum transactum erat, ut Cl. vir Georgius Amvaldus Philosophus & medicus, encomium Panaceae suae divulgaret; tunc duo se mihi offerunt patroni singulares & omnino divini: quorum ego meritis ad omnia grati animi officia sum in aeternum adstrictus, nimirum Doctiss. inter literatos D. Neander, & Nobiliss. inter ordinis equestris Saxoniae viros D. Iohannes V Vilhelmus à Kerstlingeroda, arcis Schartfelsicae in Comitatu Honsteynensi praefectus ampliss. & dignissimus: ille novam medicinam suadet, hic sumtus eius, & quicquid ad curationem faceret, ultro pollicetur. Etsi autem iam spem ferè omnem convalescendi abieceram, ut dixi: accipio tamen conditionem tam liberalem, tam insperatam. Nec mora: mittitur nuntius, efficit: redit: pharmacum

pharmacum illud divinum affert, egoq; me ad eius usum conver-
to: vix triduum abit: ego novum & mirificum in membris vigo-
rem sentio, quid? quod & animus ipse paulatim reviviscit? Pri-
mum à latere in latus me convertere incipio: quod prorsus ἀμήχα-
ρον ante fuit: mox proprio motu brachia extendo huc & illuc
transfero: indè meis nixibus in lecto me erigo, pedibusq; paulò
post infisto: & adminiculo lecti & scamni deambulo, interdum
etiam ductu meorum utor: instar pueri qui prima gradiendi ini-
tia facit: nunc scamnis adhærens: nunc manibus suorum fultus:
donec facultate eundi in ipso confirmata, suos ipse passus liber &
solus instituit & regit. Sed tamen hanc ego facultatem, (propriis
videlicet viribus huc illuc incedendi, absq; adminiculo, & le-
ctum omnino deserendi) prius obtinere non potui quàm Valcro-
da discessi. Priedie enim quam abivi, primum in publicum pe-
des extuli: nec ab eo tempore decubui amplius. Et Deus ita
evidenti testimonio ostendit, se mirabiliter conservare suos & li-
berare, ut in viis suis, & demandato officii munere, quo usq; ei
libitum est, pergant. Remisit etiam paulatim colica, cum ma-
tre sua, alvi obstructione. Restant quidem adhuc morbi reliquæ
non contemnendæ, ut instabilitas genuum: & imbecillitas bra-
chiorum: quæ instrumentum hoc, studiis maximè necessarium
(τὴν χεῖρα, inquam, τὴν σοφίας μητέρα, ut Aristoteles nominat) non
mediocriter impediunt: sed certa mihi spes est, paulatim & sen-
sim ita remittente morbo, eum qui bonum & lætum Catastro-
phes initium fecit, bonum & lætum comoediæ huius, quam ipse
agit, exitum facturum esse. At fortassè non nemo erit, qui dicet,
cur ita περιαιτολογεῖς? quin de Græca aut Latina lingua & de studiis,
nobis aliquid tam diu expectatum, & quasi per transennam osten-
tatum, affers? Duæ sunt causæ, iuvenes studiosissimi, quam ob-
rem ita præfari volebam. Prima est ut me excusarem de mora tam
diuturna officij apud vos exsequendi: ut intelligeretis moram illã
nò in mea culpa, sed in Dei Opt. Max. potestate & διοικήσει cōsistere.
Secundo gloriam Dei hæc mea relatione prædicatam volo. IEHO-
VA enim noster trinus & unus, qui mirabilis est in operibus suis:
& mea, certè minimi & abiectissimi, opera non planè infructuo-
sa, in Ecclesia & scholis per annos viginti, quinq; utitur, voluit in
me statuere insigne exemplum, tum severitatis, tum etiam mise-
ricordiæ suæ. Eisi enim non sum blasphemus maiestatis eius con-
temptor:

tēmtor: nōn apōstata: nōn hāreticus: nōn facinorōsus: sed in viis
eius, pro virili, ambulo, dum literas linguasq; & artes, pro mo-
dulo meo, propago: verbumq; eius purē doceo: & ab enormibus
mihi peccatis, quantum possum, caveo; crucis etiam partem non
exiguam, post servatorem meum, propter ingenuam veritatis
professionem & παρηγορίαν gesto: Deus tamen abreptum me misel-
lum ita flagris incelsit & multat, ut facile alicui, temerē iudican-
ti, non modo calamitosissimus, sed etiam scelerosissimus, videri
possim. Nec id satis: longinquitate temporis & atrocitate mor-
bi; correctionis severitatem exasperat: non enim paucis diebus:
non uno atq; altero mense; sed per totum annum me ferit; nec
dum hodiē finem ostendit: & ad me probē castigandum utitur
non febricula, non κεφαλαλγία: non ἰσχυρὰ, aut simili aliquo lenio-
ris morbi genere; sed paralyti; malo tantum non incurabili; Quid
igitur concludamus? Si hęc in ligno viridi, quid in arido fiet? Si
peccati reliquias in moderatis & piis tam acriter Deus flagellat,
quam atrociter persecutorum tyrannidem, Epicureorum securum
numinis contemptum, & derisum, hāreticorum blasphemias, & sce-
leratorum hominum libidines & malefacta plectet! Quare, εἰς ἐμὲ
τις ὁρῶν εὐσεβὴς ἔστω, in meum quis intuens exemplum pietatem cole,
ut Sennacheribi, impii & superbi, inq; Deum contumeliosi ty-
ranni, statua apud Herodotum loquitur & monet. Nam quam cer-
tum est Deum esse sanctum, & sancte tum interno pietatis motu,
tum etiam externæ sanctimonix & iusticiæ officiis, à nobis coli
velle: tam certum est etiam, acerrimo Deum odio prosequi, &
rigidissimis pœnis afficere omne peccatum, præsertim si quis non
relipiscat. Et cum in suis per Christum reconciliatis amicis id tam
severē insecetur & puniat, in alienis certē, ad ipsam per veram
pœnitentiam non reversis, impunitum nullo modo relinquet.
Crux igitur & calamitas: sive sit τιμωρία in impiis & scelerosis, aut
etiam in piis: sive δοκιμασία in sanctis: sit viva nobis concio, de
horrenda divinæ providentiæ ira adversus peccatum, & seria ad
Deum conversione. Si enim dilectis filiis non parcit iusta Dei se-
veritas, quid impiis fiet, Deoq; adversis & invisis? Proposuit tamen
me Deus etiam commune: xē nplum benignitatis suæ inexhau-
stæ, & clementiæ. Iam desperarant aliquoties de mea salute, non
tantum cœteri, sed etiam medici ipsi; tam in carnificina illa cal-
culi sævissima, quam tolerare me posse diutius negabant; tum in
tenacif-

tenacissimis Paralyseos vinculis : quæ perpetuos mihi quasi carceres ad mortem usq; minitari aiebant. Quid multa? conclamatus iam eram. At quid contra divina agit potentia & bonitas? Nonne in ultima omnis salutis desperatione de cælo auxilium venit? ut dictum est: Panaceæ videlicet divinitus monstratæ vis & efficacitas; quam ego nec in somnio mihi imaginatus fuisssem. Etsi enim hanc qualēcunq; virium recuperationem soli potentiæ Dei ac benignitati acceptam refero, tam insipiens tamen esse nolim, ut mediis (quæ vocant) inditas ab eo vires inficiatione mea detraham. Divino igitur beneficio me Panacea afficit, Deo vires ipsi inspirante: Et quod alia hæc pharmaca, tam longo temporis intervallo, præstare non valuerunt, intra breve paucorum dierum spatium præstat, & mediocrem artubus motum & usum restituit; Et quod mirandum: cum medicamenta cætera morbum subindè aggravarent, Panacea primo statim usu salutis primordia attulit: & de morbi reliquiis optima quæq; sperare me iubet. Gratias igitur ago habeoq; primùm Deo, tam salutaris pharmaci auctori, & confirmatori: deindè beneficentissimis, qui hoc mihi conciliarunt, amicis & patronis; Et nunc cum Diva Hanna, Prophetæ Samuelis matre, lætus cano: Exultavit cor meum in Domino meo &c. Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Quamobrem iterum, quisquis es, ad meum exemplum oculos animumq; advertens, disce quanta sit Dei potestas, quanta bonitas, & clementia, circa eos, quos amat, & qui eum contra reverentur, & vero fidei ac pietatis honore afficiunt: Et hoc rarissimo divinæ liberationis circa me exemplo admonitus, firmiter statue, nullius miseræ & afflictionis in ecclesia Christi atrocitatem esse tantam, quin Deus vel in mitiorem sortem convertere vel omninò tollere eam possit & velit, si id cum gloria sua & salute nostra sit coniunctum.

Hæc de statu meo disserentem, prolixius fortè quam decuit, aut par est, ut æquo animo feratis studiosè peto.

Nunc tandem cum & mora fuerit longissima, & morbus non nihil remiserit (licet residuum plus satis molestiæ adhuc creet, studiq; nostra non minimum retardet) officium, à Deo, per magistratum politicum & scholasticum, mihi demandatum, quod fastum sit & felix, aggrediar; Græcamq; linguam, & ubi necessarium est, vestrisq; studiis conducibile, latinam simul vestris animis instillare, & ad posteritatem, quâ potero operâ & cura, propagare, enitar. Adeste igitur, optimæ spei iuvenes, promptis auribus, & sedulis mentibus, operosisq; manibus, & novis Barbariæ cultoribus accuratum Græcæ linguæ studium fortiter opponite. Dispeream, si vos opellæ huius unquam pœnitebit. Valete.

Breve

IV.

Breve Panaceæ eulogium: pharmaci novi, & incomparabilis: ad ipsius auctorem, Cl. V. Dn. GEORG. AMVALDVM, utriusque Medicinæ Doctorem.

EXquiris quid agam? mihi quæ Panacea salutis
Huc missa præstet commoda?

Expeditam paucis: cunctos mihi fregerat artus,
Inutilesq; fecerat,

Horrida, quæ motum tollit, resolutio, nervis:
Vivamq; mortem suggerit.

Brachia languescunt ceu mortua: pesq; rigescit,
Manusq; inepta est usibus.

Extentus iaceo vivum ceu fortè cadaver,
Quod spiritus iam deficit:

Affixum me vincla tenent Adamantina lecto,
Ni tres loco me moverint:

Caucasia quondam sic stabat rupe Prometheus,
(Si parva magnis conferas,)

Vinctus & immotus: proles Alcmenia, donec
Ab his catenis eximit.

Quid curas animi referam? sævosq; dolores?
Molestiamq; corporis?

Rara quies præstat tristi solatia morbo,
Diris nec absq; insomniis:

Nausea perpetuò stomachum premit: omnis Orexis
Potus cibiq; deficit.

Hinc tabes miseros sædè depascitur artus:
Nil præter os est & cutem;

Si quid

*Si quid fortè cibi ventri committo, putrescens
Claufo residit exitu:*

*Omnes conclamant Medici, miserumq; relinquunt:
Ceu nil salutis sit super.*

*Sed tua quam primum subiit mihi viscera mitis,
Amvalde, dos hac atheris.*

*Pessima qua fuerant, fiunt mox optima: cedit
Morbus: redit salus mihi:*

*Redditur alma quies: fugiunt insomnia: fluxus
Gravare pectus desinunt:*

*Alvus laxatur: stomachi fastidia cessant:
Sapit cibus, potus sapit:*

*Crescit & exhausto rediviva in corpore virtus,
Cum carne, cumq; sanguine:*

*Discutitur nubes animi: vegetantur in agro
Labefacta membra corpore.*

*Sponte mea manibus nixus pedibusq; relinquo
Aegri catastam lectuli.*

*Sic tamen ut pueris mos est, proserpere cœpi.
O delibutum gaudio*

*Quanto me censes vir maxime! quando salutis
Hic sol mihi fulsit novus.*

*Iam vecturus erat Stygia me portitor unda:
Sed ecce tu, ceu nuncius*

*Divûm, mox superas reducem me sistis ad auras,
Vitag; perfrui iubes.*

*Omni dum precio maiora hac Pharmaca donas,
Cumq; his salutem pristinam.*

*Ergo, nisi grates Amvaldo mille rependam,
(Pro viribus tamen meis)*

*Hospitis ingrati sim dignus stigmatè, dignus
Sim, quem salus ipsa oderit.*

D

PARS

Pars Kerstlingrodio tamen hinc sua, parsq; Neandro,
Ut cedat, æquum iudico.
Indicat hic etenim medicum prior: ille medelam
Huc sumtibus curat suis.
Utrò contendens exponere cuncta, salutis
Integritatem qua ferunt.
Nam superant & adhuc veteris vestigia morbi,
Dum non medela copia est.
Radicesq; malum nimis altè in corpore fixit;
Maiore quod nixu domes:
Restat debilitas teneris non parva lacertis:
Adhuc gravantur poplites:
Dextera scribendi nondum manus exhibet usum,
Nec apta sat negociis.
Quicquid abest igitur manibus pedibusq; vigoris,
Misso subadde Pharmaco,
Exsolvet precium tibi Kerstlingrodus heros:
Qui sidus inter nobiles.
Me verò penes est, gratis te laudibus alta
Ad sidera usq; tollere,
Te celebrare, artemq; salutiferamq; medelam,
Ut, clarus: hinc sis clarior;
Quod terris Paon alter sis missus Olympo;
Divina cui vis pharmaci:
Ambrosia bona pars & nectaris: omnia morbi
Cuiusq; monstra quod domet.
Quale bonum prisca non novit temporis ætas,
Nec posteri maius scient.
Maçte bonis, vir summe tuis: & vince ferendo
Infesta: sat beatus es,
Si tua te virtus beat: & Panacea salutis
Dat plurimis mortalium.

V.

Σῶστρον ad Christum servatorem: pro medio-
cri restitutione, ex morbo per-
tinacis.

Ὡ χειροῖν τε ποδοῖντ' ὀλοὴ λύσις! οἷά μ' ἔοργας;
Ψυχῆς καὶ μελέων κάρτ' ὑφείλες ἅπαν.
καὶ μ' ἤδη συγερὸν ποτὶ Κέρβερον εἴλικες ἀνάγκη.
Σοὶ τότεν ὄξυμόρων πλήθος ἄρηξε νόσων.
Χριστὸς δ' αὖ, πανακείαν ἄγων, ἐμὲ ῥίμφα σάωσεν.
ὦ μέγας ἱητῆρ! ἀξίος ὦ χαρίτων!
Ἰλαθι, καὶ νέσοιο τὰ λείψανα, χριστὲ, δάμασσον.
ὡσ φίλα σοὶ, μέσαισθ' ἀρμὲν ὅπιθε τελῶ.

F I N I S.



V.
Zu dem Christum lebendigen pro me-
ci religionem ex modo per
Eiusdem

Q
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige
König zu werden, die Könige


H I N T




1151



innumeris gratiis et benedictionibus ha
benda. **H**ec **X** munera **H**ec **S**an
ctificata illibata. **I**n primis que tibi
imus pro ecclesia tua sancta catholica
pacifice custodire. adiuuare. et regere
ris toto orbe terrarum. una cum familia tua
nostra. Rege. **I**us **S**anctissimus **S** et omni
orthodoxis catholice et apostolice fidei
toribus. **M**emento dñe famulorum famularum
que tuarum. **S** et omnium circumstantium quorum
fides cognita est. et nota deuotio pio que
tibi offerimus. et qui tibi offerunt hoc
sacrum laudis pro se suis que omnibus pio re
tione animarum suarum. pio spe salutis. et
incoluntatis sue tibi reddunt vota sua
eterno deo uiuo et uero. **O**mnium





12.

TROPHAE TRES:

STVDI-
M: NOBILEM
TAM; PIAM; IUVEN-
QVAE IN INCLYTA AD
etarum Academia, linguas & artes
sti, & communi vitæ necessarias, sin-
religionem & pietatem, discit
& colit:

Quibus accesserunt,
ogium, & Epigramma ευχαριστικόν
ad Christum,

Scriptæ & editæ

AVRENT. RHODO-
ca & latina lingua apud Ienenses
professore P.



ypis Tobiaë Steinmanni.

41

